



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationum// Roberti Bel-//larmini Politiani,// Societatis  
lesv// De Controversiis// Christianae Fidei, Adver-//sus  
huius temporis Haereticos,// Tomus ...**

De Sacramento Evcharistiæ - Sex Libris Explicata

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1589]**

**VD16 B 1603**

De Sacramento Evcharistiæ Libri Sex. Ordo, ac partitio totius operis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54113)



DE SACRAMEN-  
TO EVCHARISTIÆ  
LIBRI SEX.

Ordo, ac partitio totius operis.

**D**E SACRAMENTO EVCHARISTIÆ his omis-  
sis, quæ Catholicæ Doctores inter  
se disputare salua fide, & pace Christiana  
solent, quatuor hoc tempore inter Catholi-  
cos, & hæreticos versantur controuersia principales: de qui-  
bus omnibus, Domino adiuuante, pro nostrarum virium  
tenuitate iuxta instituti operis rationem disputare aggre-  
diemur.

PRIMA igitur, ac præcipua controuersia est de vera, ac  
reali, & substantiali presentia corporis, et sanguinis Domi-  
ni in hoc non minus admirabili, quam venerabili Eucharis-  
tiæ Sacramento. Sed quoniam ea controuersia longissima  
necessariò futura est, vitandæ confusionis causa, tribus mo-  
dis tractabitur, ac si essent distincta quæstiones. PRIMO ex  
solo verbo Dei. SECUNDO ex solis Patribus antiquis.  
TERTIO ex iudicio rationis.

ALTERA de modo ac ratione existentie Christi in  
Eucharistia; sitné ratio existentie Christi in Eucharistia,  
conuersio panis & vini in corpus, et sanguinem Christi, quæ  
ab Ec-

ab Ecclesia Catholica dicitur Transubstantiatio; an potius assumptio panis, & vini ad vnionem hypostaticam corporis, & sanguinis Domini; aut omnipresentia, siue Vbiquitas, vt quidam loquuntur, humanitatis Christi, an aliquid aliud.

TERTIA controuersia principalis est de ipso Sacramento, vbi primùm de natura ipsius disputandum erit, sitne res aliqua permanens, an actio transiens; ex qua questione illud etiam manifestum fiet, vtrum in Eucharistia sit corpus Domini solum in vsu, an etiam extra vsum; deinde de materia, forma, fide, seu effectu, de ministro, de vsu, id est, de Communionem sub vna, vel altera specie; & tandem de veneratione Sacramenti differemus.

QUARTA & postrema de sacrificio.

## LIBER PRIMVS.

De reali presentia Christi Domini in Sacramento Eucharistia ex verbo Dei.

### CAPVT PRIMVM.

De heresibus.

**A**NTEQVAM VENIAMVS AD QVAESTIONES propositas de presentia corporis Domini in Eucharistia, explicandæ erunt hereses contrariæ, contra quas pugnandum est, & sententia Ecclesiae, pro qua pugnandum.

PRIMI qui negarunt, Christi corpus esse in Eucharistia, videntur fuisse illi ipsi, qui primi heresum zizania in Ecclesia serere coeperunt, Simoniani, Menandriani, & similes; de his loquens S. IGNATIUS in epistola ad Smyrneses, sic ait: Eucharistias, & oblationes non admittunt, eò quòd nò confiteantur Eucharistiam esse carnem Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ sententia citatur à Theodoro in 3. Dialogo ex epistola ad Smyrneses, vbi tamen nunc non habetur.

Ne au-